AN EXPEDIAT GERMANIAE, CENSERE IN IMPERII PROCERIBVS EXTEROS REGES?

DISQVIRVNT:

SIMVLQVE

PERILLVSTRI ATQVE *EXCELLENTISSIMO DOMINO*,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DOMINO

CHRISTOPH. ERNESTO DE BEVLWIZ,

POTENTISS. DAN. REG. CONSIL. INTIMO,

CETERA,

ADDICTISSIMAM MENTEM DEMONSTRANT

IOANNES FRIDERICVS DE BEVLWIZ,

ET

GVILIELMVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ, AVCTOR.

HALAE VENEDORVM,

TYPIS VIDVAE IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

ANN. cIↄ Iↄcc xxxxiii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eximio certe gaudio unumquemque perfundi oportet, qui illam Germaniae noſtrae felicitatem animo reputat, quae circumdata poene eſt regnis, quorum reges patriae cauſa, neceſſariorum amore ad communicandam quaſi cum Imperio noſtro fortunam perducuntur; qui-

que ob territoriorum, Germaniae innexorum, rationes non magis ſolliciti ſunt de regnorum ſuorum flore, quam de ipſius Germaniae ſecuritate et incolumitate. Glorientur igitur alii de Germania, uictrice olim finitimorum populorum, recolant ingratam et inuidiae apud exteros pleniſſimam memoriam, ſcriptorum ſtudiis mirifice inumbratam, quot quantasque terras quondam in poteſtatem redegerit. Nos certe non ſine inſigni uoluptate hunc potius ſpectamus fructum, quem ex intimiore illa cum exteris regibus ſocietate hodie percipit Germania, quorum ualidiſſimo auxilio in maximis tem-

Digitized by Google

tempeſtatibus ſaepenumero praeclare defenditur. Quid uero optabile magis eſſe poteſt, quam ſi ipſi illi potentiſſimi imperii proceres, quos idem pro Germaniae ſalute ſpiritus agit, arctiore inſuper uinculo ac colligatione inuicem uniantur: Gratulatur eo ſenſu Germania ſibi aeque ac Daniae Britanniaeque, quod regnorum eorum PRAESIDES AVGVSTISSIMI firmiore iam neceſſitudine iungantur, quorum unus ſemper iuſti et aequi fuit animus. Etenim feliciſſime id effectum intelligimus, ubi CELSISSIMVS DANIAE PRINCEPS HAERES, regiis ornatam uirtutibus FI-

 LIAM

LIAM BRITANNORVM MONARCHAE et Europae Palladii auſpicatiſſimo matrimonio ſibi adiungit. Exſultat gaudio Germania, et nos deuotiſſima pietate ueneramur merito hac in re prouidentiam diuinam, publicae ſaluti inuigilantem. Supplices D. O. M. precamur, ut feliciter perpetuo hi POTENTISSIMI REGES terris ſuis praeſint, et fauſtiſſimae huius unionis effectus duret diutiſſime, matrimoniumque, felici ſidere initum, atauitum decus ac gloriam rerumque proſperitatem ſeris perpetuet nepotibus. Haec ſunt, VIR PERILLVSTRIS atque EXCELLENTIS-

Digitized by Google

TISSIME, pia uota, quae in publicas iam exire iubemus ſupplicationes. Videmur quidem iuſta deuotione procul arceri ab hoc ſacratiſſimo faſtigio; interim nihil obſtare ſperamus, quin ſequamur TE, *VIRVM PERILLVSTREM atque EXCELLENTISSIMVM, ſanguine propius nos attingentem, in piis erga AVGVSTISSIMAM DANIAE REGIS GENTEM affectibus, et ſi ultra quid nobis ſumſerimus, condonaturum id Te confidimus ſubmiſſioni noſtrae. erga* CELSISSIMVM *PRINCIPEM, cuius uirtutibus atque eminentiſſimo ingenio teſtis huc-*

usque

Digitized by Google

usque adfuiſti. Teſtamur haud ſine inſigni fiducia gratiam Tuam, cuius documenta ut tanquam caput et decus familiae noſtrae, deinceps erga nos edas, officioſiſſime precamur. Ardentiſſimis precibus a ſummo Numine impetrare conabimur, ut nuper initum a TE coniugium auſpicatum eſſe iubeat, et TE illuſtremque gentem perpetua incolumitate ornet atque condecoret.

§. 1.

Digitized by Google

§. I.

Defixi ſuper hoc fauſtiſſimo euentu fuerunt oculi in conditionem Germaniae praeſentem, et nunc quidem agere uiſum: *De exteris regibus ad ſummam rerum in imperio concurrentibus, quantumque id Germaniae noſtrae expedire uideatur.* In principio autem ſtatim monemus, nobis non eſſe propoſitum, iterare hic quaeſtionem, an extraneus admitti poſſit ad ipſam Imperatoriam dignitatem, quippe quae ab aliis (*) iam ſatis exploſa eſt. Sed

 cum

(*) Attigit eam inter alios B. SCHWED. in Diſput. de electione Imperatoris theſ. III. Et quamuis lauda-

tiſſimus

Digitized by Google

cum ſummum in Germania Imperium ita temperatum ſit, ut ſtatus non minus, quam Imperator eius partem ſibi uindicent, de ſtatibus ſolum nunc diſpiciemus, allegatisque primum generalibus principiis, exquiremus cauſas, ob quas priſcis temporibus res periculi plena uiſa ſit, admittere exteros in ſocietatem reipublicae, deinde uero quamobrem id hodie ceſſet, oſtendemus.

§. II.

Vbi uero generatim quaeſtio mouetur, utrum utile an perniciosum ſit reipublicae, extraneo principi, ſiue omnimodum imperium, ſiue partem eius permittere? id quod in Germania contingit hodie, argumenta occurrunt in partem utramque. Verendum utique, ne pro-

tiſſimus auctor eo tendat, ut generalibus argumentis omnem exteri principis in quauis republ. electionem refellere nitatur, non tamen ea ſunt argumenta, quibus ſatisfieri nequeat, ac quae ſemper locum habeant.

Digitized by Google

propriis uiribus exterus princeps abutatur ad ſupprimendam ciuitatem et in ſeruitutem adigendam; Viciſſim tamen ſpes eſſe poteſt, eum opibus ſuis et potentia praeſidio et auxilio futurum.

§. III.

Arctior quidem eſt nexus popularium ac ciuium, qui in unam ſocietatem ab initio coaluerunt, adeoque ob natiuam quaſi erga patriam pietatem, maiori omnino fiducia praefici poſſe ſummae rerum uidetur ciuis ac indigena: Aſt quam parum ſaepiſſime ualuerit haec pietas, exempla docent, in quibus aemulatio, partium ſtudia, priuatae ſimultates abunde demonſtrarunt, florentiſſima regna ad incitas fuiſſe redacta, quantumuis indigena imperio potitus fuerit.

§. IV.

Inuidiae pleniſſima eſt aſſertio eorum, qui, rebus admoto principe alienigena, certiſ-

Digitized by Google

ſimam metuunt ſeruitutem; Sed quam exilis ſit ſuſpicio illa inde patet facile, quod electitia regna propriis legum fundamentalium præſidiis munita ſint plerumque, legemque et ius iurandum migrare magnae molis ac periculi opus exiſtat, uanaque tentamenta oportet eſſe principis, qui eis aliam formam inducere auderet.

§. V.

Ex hactenus allatis perſuaſum habemus, lubrica pleraque eſſe, quae de hac quaeſtione in hanc illamue partem uniuerſe diſputantur. Quin omne momentum in regni conditione ac formula, principis affectibus, rerum facie, temporum ratione et ſexcentis aliis circumſtantiis poſitum eſſe, omnino credimus.

§. VI.

Abſolutis ergo, quae generatim de hoc problemate dicenda uiſa ſunt, ad ipſam progredimur Germaniam, conſideraturi, num in eius ſalutem cedat, quod D. O. M. prouidentia

tia tot exteri principes eius gubernaculis aſſideant, idque ex indole partim Imperii noſtri, partim ex conditione principum, partim hiſtoria repetemus. Et iuxta temporis ſeriem iam indicandum, quid olim Germaniae expedire uiſum fuerit. Antiquiſſimis certe temporibus, Germani omne cum exteris defugiebant commercium, unde gentilem ferocitatem imminui, et uirilem animum effoeminari putabant. Herthum, id eſt tellurem, matrem uenerabantur, ſagaciſſimisque Latii ſcriptoribus impoſuerunt indigenatum glaucomate, et quod aliarum gentium aduentibus hoſpitiisque nunquam mixti fuerint. Inutilis itaque foret quaeſtio, num peregrinos illa aetate duces ſibi elegerint, quos praeterea belli ſolum cauſa et ex uirtute ſibi aſſumſerunt, teſte TACITO. Exteros omnes, niſi in foedus et amicitiam adſciti eſſent, pro hoſtibus habebant (*).

(*) Conf. B. Dn. DE LVDEW, diſſ. *de peregrin.*, *albinag. et*

Digitized by Google

§. VII.

Interim fuit tempus, quo Germaniae populi, mutuis bellis atque caedibus ſatis fatigati, conſpicua regna condiderunt, moxque Europa per Francos in eam prope formam redacta, quae hodiernam aliquo modo referre uideatur. Germania quidem ipſa, poſtquam ſeparatum eſſe coepit regnum, frequentius cum exteris egit. Sed quod olim contemtus uanique gentis ſpiritus effecerunt, id nunc ex timore, odio, religionis ſenſu, partim ex libertatis amore profectum intelligimus.

§. VIII.

Ex quo enim Germania Hunnorum immenſis copiis inundata, atque poene omnis ſuppreſſa, Slauorum, Venedorum, Obotritorum-

et Wildfang. cap. II. Obſeruatt. Halenſ. Tom. VII. Obſ. 6. *de Latrocinio gentis in gentem* ubi §. 16. multa de aeternis bellis gentium proferuntur. Auctorem huius obſeruationis fuiſſe IAC. THOMAS. docet Celeb. HEVMANN. in Miſcell. nou. Lipſienſ. Vol. I. p. 297.

rumque incurſionibus vexata, Normannorum armis tentata, Gallorum artibus exercita fuit; quis ſibi perſuadeat, aliquam tunc exſtitiſſe gratiam exterorum? Imo paullo poſt, perdomitis his gentibus omnem cum iis ſocietatem ſublatam nouimus.

§. IX.

Sic minime admittebantur in comitiis Germanorum dedititii populi. Connubia cum iis inita pro illegitimis habebantur, carebantque effectibus ciuilibus (*). Accedebat Ponti-

(*) Commode huc referri poſſunt, quae in concilio Triburienſi a. 895. hac de re ſtatuta feruntur, ubi tantum rata in poſterum fore matrimonia, docent uerba c 39. huius decreti: *Quicunque alienigenam in coniugium duxerit, uelit, nolit tenenda erit, nec ultro ea ſeparanda, excepta fornicationis cauſa.* apud CORIOLAN. in ſumm. concilior. p. m. 692. Sed quae incerta, ſibique parum conſtantia, de hac ſynodo nationali, memoriae prodita ſint, refert DE LVDEW. l. c. cap. VIII. medicam adhibens manum capitulo l. X. de ſponſal. Verum quid certi adferri poſſit, docet in fine huius capitis. STRVV. in Syntagm. iurispubl. c. XXXI. §. 34. demonſtrat, matrimonium cum Slauica olim non fuiſſe admiſſum.

Digitized by Google

Pontificis Rom. auctoritas, qui omne commercium cum exteris ſeuere prohibebat, quin grauiſſimam cenſuram incurrebant, qui matrimonium cum his inirent, qui adhuc ſacra Chriſtiana ſpernebant infeſtabantque (*).

§. X.

Fuerunt nihilominus Imperatores, qui a Germaniae principibus oppugnati, praeſidium quaeſiuerunt in iſtis regnis, quae triumphauerant olim Germani. Quemadmodum HENRICVS IV. Imp., Saxonum Thuringorumque uindictam ſpirans, haud ſpernendis conditionibus Danos in horum terras allexit (**). Idem Bohemorum odio immortali in Germanos uti uolebat ad opprimendas inuiſas Saxonum Thuringorumque gentes (***).

§. XI.

(*) Vide quae hac de re habet LANCELL. in inſtitt. iuris can. Lib. II. Tit. XII. p. 880. ſeq. edit. THOM.

(**) LAMB. SCHAFFNAB. apud PISTOR. edit. STRVV. ad ann. 1073.

(***) Sequentem in modum rem exponit BRVNO p. 187. Tom.

Digitized by Google

§. XI.

Tacemus illam uiciſſitudinem, quae non inficiando ſuo diſpendio, edocuerunt Germaniam, minime conuenire internae eius tranquillitati, ſi Imperatores exteris iungerentur matrimoniis aut foederibus. Quo facto Germaniae ſalus neglecta plurimum, et infeliciter exterorum rationibus poſtpoſita fuit (*).

§. XII.

Inflata poſterioribus ſaeculis Germania uanis opinionibus de dominio quodam orbis terrae, infelici illo Romani iuris glaucomate (**). Auerſati tum maiores noſtri omne

C cum

Tom. I. collect. FREHER.: *Duci Bohemorum Wratislao Miſnam ciuitatem cum omnibus ad eam pertinentibus promiſit, et ſic eum, ut ſuis partibus adiutor eſſet, adſciuit.*

(*) Sic terras Imperii, multo ſanguine olim partas, ultro ceſſerunt Imperatores: imo exterorum regum conſilio totam interdum Germaniam uectigalem facere admiſi fuerunt.

(**) Vid. omnino B. COCCEI. eruditiſſimam diſſ. de dominio ſeu Imperio orbis ad L. 9. D. ad L. Rhod, quae exſtat in Vol. II. exercitationum eius diſp. 52.

Digitized by Google

cum exteris commercium, fuitque res prope inaudita, externo principi terras imperii tanquam ciui poſſidendas concedere. Ex quo facile identidem aeſtimari poteſt ratio, cur uix uni interdum regi uicariatus Imperii in certo tractu conceſſus fuerit, atque quae ſubfuerit cauſa, quare ſtatus aegerrime tulerint, ut filii Imperatorum peregrinorum regum filias in matrimonium ducerent (*).

§. XIII.

Poſtquam autem principum creuit potentia, et unius nonnunquam regni uires omnibus reliquis interitum minatae ſunt, maiori inter ſe uſae ſunt gentes familiaritate, mutua matrimonia

(*) B. STRVV. in opere poſthumo, cui titulus inſcriptus *Iurisprudentia Heroica*, cuius Pars I. cura Cl. HELFELDII nuperrime lucem adſpexit, ubi B. auctor cap. IV. §. 15. usque §. 35. exempla eius rei plena manu contulit. In quo opere generatim uidere licet, quam ſolers fuerit auctor, inſignem induſtriam abunde teſtatus; ubi collecta habemus, quaecunque argumento huic inſeruire uiſa ſunt.

Digitized by Google

nia ineuntes et foedera. Sed hic minime ſubſtitit benigni Numinis prouidentia, ſtatibus plerisque Imperii eminentiam adhuc maiorem tribuens, quam, quae ex affinitate et foederibus cum regibus proficiſcitur. Extera enim regna intellexerunt, mite et manſuetum eſſe Germanorum imperium, ideoque in deligendis regibus ipſis popularibus antepoſuerunt Germaniae principes, illuſtri loco natos, et generis antiquitate atque excellentia inſignes.

§. XIV.

Inter haec regna primum fere fuit grande tum ſeptentrionalis Europae imperium, quod medio ſaecul. XV. auſpicatiſſimo conſilio Oldenburgenſi comiti coronam impoſuit, ſub cuius auguſtiſſima progenie floret adhuc Dania uigetque, id quod etiam in Hungaria, Poruſſia, Suecia, Anglia et Polonia aeterno patriae decore factum eſt. Cum igitur paullo ante attigerimus, quid priſtinis temporibus ualuerit

Digitized by Google

in peregrinis principibus inter Germaniae proceres recipiendis, nunc, quantum per uires licebit, Imperii Rom. Germanici inſigne commodum ob oculos ponemus, quod percipit ex imperio principum, finitimis regnis dominantium.

§. XV.

Sunt, qui id ipſum Germaniae parum proficuum eſſe credunt, cum pro illa rerum conditione publica conſilia attemperanda eſſe videantur utilitati eorum regnorum, quorum reges ſuo ſuffragio etiam de Germaniae ſalute conſultant, id quod ſingularem moram inferat negotiis imperii; quid? quod nonnunquam ſaluberrima coepta inſtitutaque irrita fiant, ſi minus conueniunt cum ratione ſtatus regnorum exterorum. Sed quamuis non negandum, ita euenire poſſe interdum, rarius tamen hoc fore, et commodis ea ipſa incommoda longe putanda inferiora eſſe, demonſtrare iam conabimur,

quod

quod eo facilius ſibi perſuadebit is, qui perpendit, quam tarda etiam antiquitus fuerint conſilia in comitiis, ubi inter ſolos Germanos deliberationes inſtituebantur.

§. XVI.

Notum quidem, quodlibet regnum domeſticis et ſingularibus rationibus uti, ex quibus externa conſilia metitur; ſed quis eſt quoque, qui non uideat, pari ratione ſpeciales Germaniae reſpublicas ſuam ſecuritatem incrementaque ponere in ſingularibus ſtatus rationibus; idque pro praeſenti rerum conditione iis maxime neceſſarium eſſe? Quae, quo frequentius et commodius cum uicinis regnis communicari poſſunt, eo minus diuiſa erit Europa, eo felicius quisque finem ſuum adſequetur. Deinde nullum fere eſt regnum in hoc terrarum orbe, quod magis, quam Germania prouidere neceſſe habeat, ut ſobria ſtatus ratione utendo communem pacem et tranquillitatem conſeruet, qui

Digitized by Google

tamen etiam reliquis gentibus neceſſario propoſitus debet eſſe finis. Armis enim prouincias tentare, aliorumque terris incumbere, admodum difficile ac dubium eſt, adeo, ut per integra ſaecula de terris haud ita magnis fruſtra dimicatum fuiſſe norimus: Ex quo demum intellexerunt ſtatus Europae, hanc orbis partem aliquod eſſe totum, quod neceſſario in peius ruat, pereunte parte. Quae autem alia ſunt media regnis proſpiciendi, ea minime uel cum Germaniae, uel uniuerſae Europae ſalute pugnant.

§. XVII.

Cum igitur pacatam uidere Europam omnium regnorum princeps debeat eſſe finis, certe Germania non minus, quam reliquae respublicae, in publica tranquillitate ſuum quaerit praeſidium, circumdata ualidis regnis, a quibus multis in locis nec marium nec montium limitibus ſeparatur. Quin, ſi a uinculo, ſatis tamen remiſſo, quod inter ſtatus Imperii mutuo

tuo intercedit, animum auertas, uniuerſae Europae, in ſe conſideratae, ſpeciem propemodum refert Imperium noſtrum. Reperiuntur in eo diuerſae reſpublicae, dignitate et uiribus impares, quarum unaquaeque iura haud proletaria in alteram praetendit. Et quis quaeſo ignorat, quis ſit niſus et reniſus in Germania? dum opibus praeualentes alios potentiam ſuam ſentire faciunt. (*)

§. XVIII.

In reliqua Europa religionis contentiones maximas turbas excitarunt, (quanquam parum uel nihil ueritati per eas detractum fuerit), cruenta fuerunt bella, ut Deum immortalem non niſi ſanguine humano propitiari poſſe crederes. Et in Germania tres religiones iam publice receptas et dominantes tanto impetu colli-

(*) Qua in re uidemus, deterioris eſſe conditionis Germaniam, quando de communi depellendo periculo laborandum, quam aliae respubl. quae, ubi res tranquillae ſunt, tanta animorum contentione periculum mutuum ſibi procreare non ſolent.

Digitized by Google

colliſas uidimus, ut in propria uiſcera ſaeuierit aliquoties Germania, bellisque religioſis admodum concuſſa fuerit. Ex hactenus dictis apparet, eundem quaſi ſpiritum habere conſilia de Germaniae incolumitate, cum iis, quae totius Europae ſalutem promouent, cuius fundamentum, aequilibrium Europae omnium ore noſtris temporibus celebrari animaduertimus.

§. XIX.

Nouimus quidem, tribui nimiae potentiae ſtatuum plurimorum, quod ii ſpretis legum praeſidiis ipſi ius ſibi reddant, etiam in cauſis iis, quae merito coram ſummis Imperii tribunalibus diſceptandae eſſent, et parum attendant, quid publicae ſecuritatis gratia ſtatutum ſit in Imperio noſtro. Verum quis hic Poëtae uerbis non uteretur:

Omnia peruerſas poſſunt corrumpere mentes,

ac

ac teſtis eſt hiſtoria, principes Imperii adhuc ſaeculo XV. contra ipſum Imperatorem arma tuliſſe, ſaeculo uero XVI. publicata iam pacis publicae ſanctione principes aduerſus ſe inuicem ciuilia arma expediuiſſe, exigua reuerentia praeualidi tum Imperatoris, quo potentiorem uix ullum uidit Germania.

§. XX.

Haud longum quidem tempus eſt elapſum, cum ferale exarſit bellum inter duos reges, quorum uterque prouincias in Germania poſſidebat, atque hae ipſae bello aeque implicitae fuerunt. Verum ut etiam huic incommodo obuiam irent Germaniae proceres, laudabili conatu eo adniſi fuerunt, ut, in omnibus fere regnis ſeptentrionalibus feruente bello, ne latius ſerperet malum, et in Saxoniam Daniaeque et Sueciae prouincias Germanicas proferretur, indeque Galli, imperium tunc infeſtantes, praeſidium nanciſcerentur, arma in Germania ponerentur, bellique ſedes maneret in exteris regnis (*). Quae omnia eo tendunt, ut firment ſententiam noſtram, non enaſci ea Germaniae incommoda ex exterorum regum ſocietate, quibus nullus omnino futurus eſſet locus, ſi pa-

D tria

(*) Ill. Dn. Glafey im Recht der Vernunfft Lib. VI. p. 170. ibique allegata elect. iur. publ. Tom. II. p. 320.

tria omnis cum exteris regibus commercii expers foret. Progredimur nunc ad ea commoda exponenda, quae imperium Germanicum ſentit ex opibus exterorum regum, arctius et ciuili nexu ſibi iunctorum, et quibus careret ſibi ſoli relictum.

§. XXI.

Cum igitur de eo, quod utile eſt Imperio noſtro, uerba facienda nobis ſint, ſedulo prius diſtinguendum nobis uidetur id, quod in ſola perſiſtit tuenda et conſeruanda reipublicae tranquillitate, atque ſecuritate praeſtanda ab omni externa ui; et id, quod ad omnimodam prouinciarum felicitatem pertinet. Neque minus ſpeciatim in Germania diuerſa eſt ratio, qua Imperatoris auctoritas ſuſtinetur, et qua ſtatuum iura eminentia nituntur. Breuibus igitur exponemus, quid conſiderandum in hoc argumento ueniat reſpectu exterorum regum, qui tenent prouincias, Germanorum imperio innexas.

§. XXII.

Ac ſupremum quidem belli pacisque arbitrium apud nos ita diuiſum eſt, ut una cum Imperatore ſtatus mutuo conſenſu in ardua hacre concurrant (*); ubi autem de periculo depel-

(*) Cap. Nouiſſ. art. IV. §. 2. Strvv. Syntagm. Iurispubl. cap.

Digitized by Google

pellendo quaeritur promtum conſilium, in temporis momento captum, occaſioni attemperatum, nonniſi felicem euentum promittit. Quid ergo ſi Germania uim patiatur, aut grauiori periculo obuiam eundum ſit? Tunc quidem auxilia in comitiis ſunt petenda, et excutiendae cauſae belli. Requiruntur deinceps ſuffragia ordinum ad certi quid conſtituendum, quae res difficultate non caret, remotiores remiſſius agunt; ut taceamus multiplices cauſas, quae funeſta diſcordiae ſemina pridem ſparſerunt inter membra imperii. Interim hoſtis in uiſcera eius impune ſaeuit, infeſtisque agminibus irrumpit. Nonne hoc rerum ſtatu maximi facienda duorum pluriumue ſtatuum potentia, qua ad commune periculum auertendum concurrunt, Germania ſe ipſam deſerente. Cumque etiam aliorum regnorum opibus Germaniae ſalus uindicetur, id quod haud facile detrectabunt illi per ea, quae ſupra expoſita ſunt.

§. XXIII.

Religiones tres in Germania publice recep-

 ptas,

cap. XXIV. §. 14. Generoſiſſ. a GVNDERODE lib. VII. cap. V. §. 2. Neque medium, citatis locis allatum, quo celeritati conſultum eſſe uoluerunt, ambiguitate caret, neque rem in totum tollit.

ptas, aequali iure uti iubent leges, licet aequali quoque ſeſe inuicem odio proſequantur, quod in exitioſa bella haud raro prorupit. Diſpari tamen exitu, id quod rem noſtram egregie illuſtrat. Saeculo XVI. ſtatus Imperii proteſtantes incredibili exercitu ad oppugnandum Imperatorem inſurgebant, qui plus initio fiduciae in hoſtium diſcordia, quam ſuis uiribus poſuerat. Ac certe debilitatae diuerſis ſtudiis uires principum, et religio Euangelica ſummo cum damno et ſalutis diſpendio experta tum eſt, tantae molis non eſſe, peregrinis copiis, ab unius nutu pendentibus profligare plures Imperii ſtatus; quod profecto non accidiſſet, ſi peregrini reges, ad quod ſollicitationibus adduci non poterant, ſingulari aliqua neceſſitate feciſſent, nempe pro incolumitate propriarum prouinciarum, ad imperii ſyſtema pertinentium, pugnaſſent.

§. XXIV.

E contrario ſaecul. XVII. mira ab initio regnabat animorum diſſenſio inter ipſos proteſtantes. Caeſar ualidiſſimo exercitu inſtructus, uictis Bohemicis machinationibus, uictricia ferebat arma ad extremam usque Germaniae oram, ut libertatem omnem una cum religione Euangelica oppreſſurus facile fuiſſet, niſi primo ducis Holſatiae arma Danica curſum uictoriarum aliquam-

quamdiu ſtitiſſent, et cum haec fatis urgentibus Auſtriacorum fortunae cedere cogerentur, aliunde auxilium tempeſtiue illuxiſſet. Vicit nempe inuictiſſimum GVSTAVVM ADOLPHVM miſerum Germaniae fatum, et increſcens Caeſaris potentia, ut, afflictis opem ferre, conſtitueret, quod ſine dubio citius feciſſet, niſi portu, ubi appelleret, et locis munitis, pro firmando belli theatro prorſus deſtitutus fuiſſet (*). Aſt probe intelligens, neminem principum laturum facile, ut propter commune auxilium, in terras ſuas bellum deuolueretur, adhibita ui loca, coeptis ſuis oportuna, occupabat, poſthabitis, quae Pomeraniae dux ab eo impetrare conatus fuerat, nempe, ut Germaniam fatis ſuis relinquat; ut taceamus, quae poſtea communi commodo impedimenta allata fuerunt, cum Elector Brandenburgicus ius ſuum in terras illas caſu exiſtente perſequi uellet, ut uideatur quodammodo imperio noſtro libertas tunc obtruſa fuiſſe, quod etiam

(*) Quibus artibus iam 1628. Stralſunda Suecis ſeſe ſubmiſerit docet KEVENHILL. in Annal. Ferdin. Tom. XI. p. 227. et p. 229. ſeqq. l. c. inſertae ſunt conditiones, notatu dignae, ſub quibus haec urbs Suecica praeſidia recepit. Atque tali modo rex in belli uſu uerſatiſſimus, aliquo modo faciliorem ſibi fore expeditionem ſperabat. Egregie rem illuſtrat. PVFEND. de reb. Suec. Lib. II. §. 1. et 7.

ex aliis huius belli argumentis probari facili negotio poſſet (*).

§ XXV.

Diutius quidem huic argumento immorati ſumus, quam ſpatio nobis deſtinato conuenire uidetur, ſed cum bella religioſa mere ciuilia fuerint, atque ipſa imperii membra uim in ſe mutuam expediuerint, in iis ſimul probaſſe ſperamus, nihil bellis eiusmodi effici, niſi externa quaedam et potentior uis accedat. Quo tamen caſu non exiguum Germaniae futurum eſſet periculum, ſi unus alterue tantum uicinorum regum ſeſe Germaniae rebus immiſceret; cum uero plures eorum Germaniae rebus innexi

(*) Circa tractatus pacis Weſtphal. melius de ſecuritate ſua cenſuiſſe uidentur Proteſtantes; ſic in art. X. §. 1. I. P. O. haec legimus uerba: *Porro quoniam Sereniſſima Regina Sueciae poſtulauerat, ut ſibi pro locorum, hoc bello occupatorum, reſtitutione ſatisfieret, PACIQVE PVBLICAE IN IMPERIO RESTAVRANDAE CONDIGNE PROSPICERETVR; Ideo Caeſarea Maieſtas - - - concedit eidem - - - ſequentes ditiones etc.* Vbi tranquillitas cum Suecorum terris coniungitur, quae ſatisfactionis cauſa iis deſtinabantur. Et quantum ſibi in conſultationibus publicis ex Suecorum praeſentia polliciti fuerint, patet ex eo, quod de Electoratus iure in Pomeraniam conferendo laborari coeperit, quae tamen res effectu eſt deſtituta.

Digitized by Google

xi ſint, uiribus, ni fallimur, ſibi non adeo impares, merito credimus, aequilibrium Europae ſemper repraeſentatum iri in Imperii noſtri proceribus, eorumque potentia.

§. XXVI.

Quantum autem pacis negotia et terrarum procurandam felicitatem attinet, ingenue fatemur, non ea nobis occurrere commoda ex peregrinorum regum arctiori ſocietate, quae non identidem percipiat Germania ſibi relicta. Sunt tamen in promtu nonnulla, quae exprimi merentur; facilius communicantur conſilia cum exteris, ſi quid pro retinenda aut inſtauranda tranquillitate publica decernendum eſt. Id quod hodieque non ſine compendio fieri intelligimus, cum exoptatae pacis conciliationem Imperii ſtatus una cum Angliae rege Auguſtiſſimo ſuſcipere conantur: cui auſpicatiſſimo conatui feliciſſimum exitum pia mente apprecamur. Ipſa deinceps res declarat, quod communicatis utplurimum commerciorum commodis Germaniae prouincias exteris ſuis regnis exaequent reges. Sed quod maxime conſiderandum uenit, exiliora illa uidentur commoda, quae tempore pacis locum habent, et quae ad firmandam et tuendam pacem ipſam uel reſtituendam parum conferunt.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sed ne eius rei memoriam depoſuiſſe uideamur, quam ſupra §. 5. propoſuimus, rationem nempe habendam eſſe ſemper circumſtantiarum in diiudicandis huiusmodi argumentis, nunc notaſſe iuuat, eſſe regem, cuius ſocietatem ſemper abhorruit Germania. Scilicet quoties, imperante neceſſitate, tradendae fuerunt terrae imperii regi Galliae, ſatius duxerunt Germaniae ſtatus, eas penitus exſoluere nexu cum imperio, quam hunc regem adſciscere ciuem et in ipſis conſultationibus de ſumma rerum admittere. Reſtitit regi ultro fidelitatis nexum offerenti ſagax Auſtriaca domus, obniſa eſt uniuerſa Germania, cum circa pacis Weſtphal. tractatus, et poſtea Aquisgranenſi pace 1668. prouincias ſibi ceſſas iunctas Imperio cuperet (*). Et ſic firmam eorum ſententiam ſtare credimus, qui utile arbitrantur Germaniae, quod reges, florentiſſimarum eius prouinciarum poſſeſſores, partem maximam communis reipublicae ac ſyſtematis ferant.

(*) Commemorat rem ita geſtam eſſe HENIGES. in medit. ad I. P. O. ad art. X. ſpecimine IX. p. 1579. ſeq. not. (n). Quod optime conuenit cum iis, quae auctor, in rerum uſu uerſatus ſub IVSTIN. PRESBEVTAE nomine de Gallicis legatis in comitiis perpetuo commorantibus edixit.

T A N T V M.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google